

rium humanum à *Græfio*, aliaq; ab aliis partim inventa, partim demonstrata sunt; postquam *Chirurgia Infusoria Majoris*, (69.) 69. *Transfusio sanguinis*, (70.) (quam in recentissimo quodam Tra. 70. *Statu rigide examinat Georgius Abrahamus Merklinus*) (71.) post- 71. quam *Medicina Stativa Sanctorii*, *Ars Bilsi*, totius corporis Anatomicè excutiendi, sanguine non misso, & per secula aliquot à putredine conservandi, aliaq; egregia inventa innotuerunt: nova paulatim lux in universâ Medicinâ ac Philosophiâ exorta est, cujus fulgor omnes veterum errorum tenebras, omnes ignorantia caligines dispellit atque dissipat. (72.) Obfignabo sermo- 72. nem meum recentissimâ quadam relatione, quam ex literis *Israëlis Clauderi*, à Summo quodam Viro benevolè mecum communicatis, haurire mihi licuit, in quibus ille refert, fratrem suum jam supra laudatum *Gabrielem Clauderum* modum invenisse, cadavera humana sine dissectione, solitaq; hætenus exenteratione incorrupta servandi, quod curiosum opus post multos exantlatos labores, superatos foetores, impensosq; sumptus Deum ipsi benignè detexisse scribit. Haberem nunc plura, quæ de *Arte Combinatoria Kircheri*, de *Invento Brandenburgico Andrea Müllerii Greifenbachii*, (73.) de recenti illo artificio scribendi quidvis in 73. quavis Lingvâ, quod à quarumlibet lingvarum nationibus legatur ac intelligatur, & legendi atq; intelligendi quodlibet in quolibet lingvâ scriptum, (74.) aliisque novis mirabilibus Graphicis, 74. de *Arte* item illa in æs incidendi, quam *Nigram* vocant, Batavo cuidam, nomine *Vaillant*, à Principe *Roberto* ostensâ, similibusq; pluribus in medium afferrem, sed quando nec enumerata jam hætenus ex merito diducere per invidiam temporis licuit, ac verò patientiâ Vestrâ diutiùs abuti religio mihi sit, ea propter immortales Vobis, *Auditores omnium Ordinum Honoratissimi, Splendidissimiq;*, pro benevolâ præsentia, patientiq; auscultatione, agens gratias, in portum me recipio!